

18 pp.

18 pp.



INDEX MATERIARUM

De A. pag.
 Abrogatione Legum. i.
 Aedificijs privatis. 97.
 non Appellandi priv. 445.

B.
 Bello Svecico discurs.
 juridico-Politicus 511.

C.
 Censu redimibili & irre-
 dimibili - - - 235.
 Coloribus juris. - 43.
 Collectis. - 697.
 Canonum errores. 723.
 Cont. lris realibus 224.
 Contestatione lris. 417.
 Competenti foro 393.
 Compensationibus 527.

D.
 Discursus juridico Politicus
 de bello Svecico. 511.
 Differentijs juris communis et Sax. p. 555.

De E. pag.
 Expeditio rerum
 successive testamentaria. 185.
 Errores Canonum. 723.

F.
 Feudaliu[m] in successio-
 ne testamentaria. 185.
 Fideiussoribus. - 264.
 Foro competenti 393.
 Fasciculus errorum Thalundi 723.

G.
 Gerade successio testa-
 mentaria. 185.

I.
 iure non appellandi. 445.
 iuris coloribus. 43.
 in integrum restitutio. 495.
 iuris communis et Sax. differ. 555.
 Legum abrogatione. i.
 Legitimatione. 57.
 Litis contestatione. 417.

DISPUTATIO

PRIMA

CONTINENS
REGULAS, QVÆSTIO-
NES, ALIASQVE OBSERVATIONES

circa materiam Contractuum, qui Re
perficiuntur, in cottidiano foro
occurrentes,

QVAM

Divino auxilio adjuvante, &

Nobilissimâ Facultate Juridicâ

approbante,

SUB PRÆSIDIO

CHRISTOPHORI PHI-
LIPPI Richter/Eisfeldâ-Franc.

J. U. Cand.

*Dnn. Compalescritis suis exercitii gratiâ discutiendam
exhibet, placidoq; eorum examini subjicit*

CHRISTIANUS Rudloff Wurzen,
Misnic.


Die 25. Augusti

J E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,

ANNO M. DC. XXVII.





V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, atq; Consultissimo,

DN. JOHANNI

SCHEFFERO, J. U. D.

ET REVERENDISSIMI, SERE-
nissimique Archi-Episcopatus Magdebur-
gensis Administratoris, &c. Consiliario gra-

vissimo, Dn. Patrono, Promotori, atque

Affini meo omni honoris, amoris, & obser-

vantiae cultu prosequendo,

Exercitium hoc Juridicum,



Observantiae, & gratitudinis
debitae ergo submisit

D. D. D.

Respondens,



202

Sicuti gladius non in vagina, sed in manu prodest: Ita etiam hujus aut illius rei cognitio non nudis in libris consistit, sed usu atq; exercitio potissimum assequitur. Hac cum ita sine, animati sumus, perplexam contractuum materiam, quibus teste Schneidvv. ad princ. Instit. de obligationib. n. i. in tota vita nostra non tantum inter mercatores, verum etiam inter suuscunq; sortis ac conditionis homines nihil est frequentius, in medium afferre. Quae enim cottidiana sunt, illa plenius etiam sunt tractanda. per l. 25. ff. de liberat. legat.

De Origine autem, necessitate, utilitate, definitionibus, divisionibus, & aliis Contractuum requisitis jam nihil dictari, quasdam tantum regulas, quaestiones, & alias observationes in cottidiano foro occurrentes proferemus, privataeq; disquisitioni, nudi exercitii gratia, subjiciemus. Cum autem Contractus non sint unformes seu unius generis, sed quatuor modis existant: Aut enim se contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu: De quibuslibet igitur speciatim in aliquot privatis disputationibus, & quidem in hac de primo membro Contractuum, qui re perficiuntur, juxta praefatum modum agemus.

Qui labor, ut pariat magnos cum foenore fructus,
Adspira coeptis, Christe benigne, bonis.

A 2

REGULA

REGULA I.

Nomina debent esse convenientia rebus. §. 3.

Inst. de donat.

Ratio hujus regulæ est, quia nomina sunt adinventæ propter res. Hinc ipsis rebus à principio sunt imposita, ut videantur, quasi cum ipsis nata, neque ignorantia aut falsâ quadam opinione mutari possunt. *l. 4. ff. de legat. 1. Gædd. ad l. 206. n. 2. ff. de V. S.* Sic Festus dicit, quod nomen descendat à noscendo quasi novimen, quia notitiam faciat. *Gædd. ad l. 6. n. 15. ff. de V. S.* Rectè igitur quidam Contractus dicuntur re perfici, quia in illis necesse est, ut principaliter res ipsa interveniat, & ita non ex solo consensu, sed potius ex actuali rei interventu perficiuntur, prout sunt mutuum, indebitum, solutum, commodatum, depositum, & pignus. *Mozz. in tract. de Contract. sub rubric. quæ veniant appellatione rei. n. 2. Schneidew. ad princip. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. De quibus omnibus jam ordine dicemus.*

II.

DE MUTUO. Id quod mutuò datum est, non in specie, sed in eodem genere, & eadem qualitate reddi debet. *l. 2. in princ. & l. 3. in fin ff. de reb. cred. & si cert. pet.*

Ratio est in *d. l. 2. §. 1.* quia ea, quæ mutuò dantur, in genere suo magis quàm in specie, per solutionem, seu cum solvuntur, functionem recipiunt. Genus enim solutum fungitur loco speciei mutuò datæ. Itaque res in mutuo comparatæ sunt, ut si loco speciei mutuò datæ genus quis solvat, idem solvere dicatur; repræsenter enim hoc modo rem ipsam, quæ mutuò data fuit. *gloss. ad d. l. 2.* Quæritur, *Cum iidem nummi mutuò dati, quibus fortè accipiens mutuò postea non indiget, in specie reddantur, an sit mutuum?* Dd. communiter affirmant, modò ab initio inter contrahentes id actum sit, ut in genere eadem qualitas reddatur. Quia magis.

223.
gis propositum & intentionem contrahentium spectamus, quum id quod postea per accidens contingit. Sic etiam Contractus ab initio, non ex implemento aestimantur. *l. 9. C. de rescind. vend. l. 8. in pr. ff. mandat. l. 12. de SC. Maced. Schneidew. ad princ. Inst. quib. mod. re contrahit. oblig. n. 12.*

III.

Aliud pro alio invito creditori solvi non potest. *l. 2. §. 1. de reb. cred.*

Ratio est. *in d. l. 2.* quia in mutuo debet reddi idem genus, quod datum est. Hinc non in aliis, sed tantum in rebus iis, quae numero, pondere, & mensurâ consistunt, mutuum contrahitur, in his enim tantum si speciem aliquis accepit, genus reddere potest. Obstat *l. 22. in pr. ff. ad SC. Trebell.* ubi dicitur, quoties duo aequipollent, non obesse, quod ex eis fiat. Jam verò res & aestimatio sunt aequipollentia, quia aestimatio vice rei fungitur. Dicendum igitur, quod non referat, an in mutuo res mutuata, an verò ejus aestimatio reddatur. Resp. Verum hoc esse in iis Contractibus, ubi aliud pro alio, & sic diversum genus reddi potest, non verò in contractu mutui, ubi idem genus præcisè debet restitui. Quæritur circa hanc regulam 1. *Si in casu necessitatis aliud pro alio solvatur, an sit mutuum?* Aff. r. Quia ubi res solvi non potest, ibi aestimatio vice rei fungitur. *l. si non sortem. 26. §. 12. vers. interdum. ff. de condict. indeb. vid. l. 9. C. de rescind. vendit. & l. 17. C. de solut. & liberat.* 2. Quia debitor liberatur, si reddat illud, quod mutuâ vice fungitur, & in solutione tantundem præstet. *l. 6. ff. de reb. credit.* 3. Quia necessitatis casus semper à regula excipitur. *argum. l. 3. ff. de feriis.* Quæritur 2. *Si quis alteri certam mutuâ dederit mone- tam, quæ ante terminum solutionis in totum reprobata est, quomodo solutio fieri debeat?* Nonnulli dicunt, quod hoc in casu debitor omnimodò liberetur à debito, veluti specie interemta, prout Petrum de Bellipertita allegat. Matth. Berlich. *part. 2. conclus. pract. 35. n. 21.* Alii putant debitorem libe-

A. 3,

rari,

Q. 1.

Q. 2.

rari, si reprobam monetam exsolvat, quia de natura mutui est, ut reddatur idem genus in eadem bonitate. *d.l.2. & l.3. de reb. cred.*

Nonnulli deniq; putant, quod debitor hoc in casu novam & approbatam secundum tamen antiquæ & reprobatae monetae aestimationem reddere debeat, *per l. 24. §. 1. ff. de pignorat. action.* Et hæc sententia est verior, 1. quia hæc est mutui natura, ut in genere suo tantundem reddatur: Jam verò, qui monetam tanti pretii, quanti sua fuit, recipit, aliud pro alio non accipit, licet materia diversa fuerit. *l. 1. de contrah. empt.* 2. quia mutuum in eadem bonitate reddi debet, quâ datum est. *l. 3. de R. C.* Jam verò monetae bonitas non tantum in materiae bonitate iustoque pondere, verum etiam in valore & aestimatione consistit. *l. 1. in pr. ff. de contrah. empt.*

Cum igitur post monetae reprobationem omnis valor & usus sit detractus, certè debitor, reddendo nummos abolitos, mutuum in eadem bonitate reddidisse non censetur, neque ita à debito liberabitur. Et huic sententiæ ipse Saxoniae Elector subscribit *part. 2. Const. 28. in fin.* Quæritur 3.

Q. 3. Si quis reprobam pecuniam mutuavit, & pro proba expendit, an probam reddere teneatur? Aff. Mutuum enim hoc modo, quod antea annullari potuit, ratione usus & consumptionis reconciliatur, & quia debitor hoc mutuo suum commodum habere, & pecuniam reprobam in suos usus convertere potuit, dicimus, quod pro reprobam mutuata probam reddere debeat. Nam si reprobam debitor pecuniam non potuisset expendere, certè eandem mutuanti dedisset, & ita nullum damnum habuisset. Ergò quia illam pro proba expendit, probam vicissim reddere, & ita neque lucrum habere debet. Et ita præteritis temporibus sæpissimè pronunciatum est: *Hat N. sein entlehretes Geld vor voll künden ausgeben / vnd damit seinen Nutzen schaffen / so soll er auch gutes Geld wieder geben.* Quæritur 4. *An pro frumento mutuo dato farina reddi possit?* Mozzius in tract. de contractib. sub rubr. de naturalib. mutui. n. 13. p. (mibi) sic dicit,

229.
dicit, quod Dd. communiter affirmant, quia farina non fit
nova species, quare prohibitus exportare frumentum, intel-
ligatur etiam exportare prohibitus farinam. Cui adsistit,
quod sub materiæ appellatione ipsum quoque continetur
materiatum. l. 78. §. 4. ff. de legat. 3. Negantium tamen opinio
est verior, quia res mutuata eodem modo debet restitui, quo
fuit mutuata, l. 2. ff. de R. C. neque licet debitori ejusdem ge-
neris rem deteriore reddere, veluti vinum novum pro ve-
teri. l. cum quid. ff. eod. tit. Adde, quod in his tantum rebus con-
sistat mutuum, in quibus eadem affertur utilitas per solutio-
nem. l. nummis. ff. de in lit. jurand. Sed quando pro frumento
mutuato redderetur farina, tunc non eodem modo mutuum
restitueretur, quia farina non eandem affert utilitatem, quam
præ se fert frumentum, frumentum enim potest ad futu-
rum usum, & quidem, quam diutissimè, secus ac farina, re-
servari, potest etiam seri, & justo messis tempore magno cum
fœnore colligi. Nec obstat, quod sub appellatione materiæ
contineatur materiatum, quia falsum hoc est, quando mate-
riatum non potest reduci ad suam materiam primam, §. cum
ex aliena Inst. de R. D. Hinc in l. 53. & 57. ff. de legat. 3. dicitur,
quod materia legata, materiatum non censeatur legatum.
Quæritur §. An pro farina mutuata reddi possit frumen-
tum? Aff. si hoc modo mutuanti afferatur utilitas. per l. 2.
§. 9. ff. de aq. & aq. pluv. arc. quia alterius conditionem quidem
meliorem, sed non deteriore facere possumus. l. 87. ff. de R. J.
Stultus enim esset, qui non pateretur, suam conditionem me-
liorem fieri. 2. quia ex frumento semper fieri potest farina.
Vide l. 99. ff. de solut.

IV.

Particularis solutio invito creditori obtru-
di non potest.

1. Ratio est in l. 3. ff. famil. ercisc. quod particularis solu-
tio multa habeat incommoda. vide l. 78. ff. de legat. 2. l. 18. §. 4.
ff. fam. ercisc. & l. 9. C. de solut. Ut verò quis alterius facto præ-
gravetur,

gravetur, & damnum patiatur, contra leges est, *l. non debet.*
& *l. factum cuiq;* ff. de R. J. 2. De natura conventionis est, ut
totum quod debetur, solvatur, minor enim solutio invitum
creditorum non magis tenet, quam nulla solutio. Goedd. ad
l. 32. n. 9. & seqq. de V. S. Prædicta tamen regula limitari po-
test, i. quod particularis solutio fieri possit, si ita inter partes
convenerit. *l. 41. §. 1. ff. de usur.* 2. Si tantum una debiti pars
sit liquida, altera verò non, hoc enim casu si debitor totam
partem liquidam offerat, tunc creditor particularem solutio-
nem acceptare cogitur *l. 21. juncta gloss. ff. si cert. pet.*

V.

**Mutuuum in iis tantum rebus consistit, quæ
pondere, numero & mensurâ constant.**
pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.

Ratio est, quia tantum hæ res functionem, id est, mu-
tuuum usum recipiunt, nec minus in suo genere per solutio-
nem ejusdem generis æqualem præstant redditionem.
Quæ solutio facit, ut eadem res, quæ data atque consumpta
est, creditori reddi videatur. In cæteris verò rebus mutuuum
contrahere non possumus, quia in suo genere non recipiunt
functionem mutuam, cum in una re non tantum sit utilitatis,
quantum in altera. *Obstat*, quod & aliæ res, ut sunt oves,
boves, equi, codices &c. numerari possunt, nec tamen in iis
constituitur mutuuum. Resp. quod mutuuum consistat in his,
quæ pondere, numero & mensurâ consistent, id est, quæ in
hoc substantialem & æqualem bonitatem habent. Objecta-
rum verò rerum non est talis aptitudo, ut æqualis & substan-
tialis bonitas in respectu numeri consistat. Ergo in iis etiam
non consistet mutuuum. Sed quæritur: *An panes, pisces,
carnes &c. mutuuo dari possint?* Aff. modo dentur ad cer-
tum pondus hæc lege, ut ejusdem ponderis & bonitatis red-
dantur. Mozz. *in tractat. de contractib. sub rubr. de reb. que
numerari possunt vel non. num. 7.* Cramer. *in
discept. Justin. 16. posit. 3.*

VI. Mu-

Mutuum per ipsius rei in eodem genere, & eadem bonitate restitutionem resolvitur.

Ratio est in l. 54. ff. de solut. quia solutio est à nexu & obligationis vinculo liberatio, præsertim ea, quæ ita fit, ut obligationis jus requirit. per l. 35. ff. de R. J. Sicut enim

Verba ligant homines, taurorum cornua funes:

Ita etiam

Solvimur à nodo nos dando, vel faciendo,

Solvitur & taurus fune remoto ferus.

Gædd. ad l. 47. n. 1. in fin. ff. de V. S. Quæritur tamen hîc, Si res credita per nuncium fidelẽ mittatur, & amittatur, an sequam actu pervenerit ad creditorem, an mittens liberetur? Disting. aut nuncius electus fuit à creditore, & tunc mittens liberabitur à debito: aut non electus fuit, nec ita liberari poterit, sibi enim imputare debet, quod non melius sibi prospexerit. Mozz. in tr. de Contractib. sub rubr. quomodo deficiat mutuum. n. 5. pag. mihi. 99. text. in l. 12. ff. commod.

Indebitum à sciente solutum, non potest repeti. l. 1. ff. de condict. indeb. & l. 9. C. eod. tit. DE INDEBITO.

Ratio est in l. 53. ff. de R. J. quia qui id solvit, quod se non debere novit, is donasse intelligitur, & proinde illud repetere non potest. Repetitio enim tum demum locum habet, cum aliquid per errorem solutum est, **Plus einem Wohn und Irrehumb. d. 1.** Prædicta tamen regula limitari potest in illo casu, ubi nulla conjectura extat, ex qua alius quam donandi animus colligi possit, quia in dubio donare suumque jactare nemo præsumitur. l. 25. ff. de probat. Vide Zac. ad s. de constituta. n. 12. de actionib.

Indebitum scienter recipiens, furtum com-
mittit. *l. 43. ff. de furt. l. 80. §. 6. Et l. 52.
§. 11. ff. eod.*

Ratio desumi potest à contrario sensu, quæ argumen-
tatio in jure valet, quia contrariorum eadem est ratio. In-
debitum enim per errorem solvi debet, Ergò etiam per erro-
rem accipi. Hinc pro intellectu hujus regulæ. Schneidew.
ad §. is quoq. n. 16. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. quatuor affert
Conclusiones: 1. Quando uterque tam indebitum solvens,
quàm recipiens est ignorans, tunc actio furti locum non ha-
bet. 2. Quando uterque est sciens, tunc donatio præsumitur.
3. Quando solvens scit non esse debitum, recipiens verò igno-
rat, tunc etiam prædicta actio non datur. 4. Quando verò
solvens ignorat esse indebitum, recipiens verò scit, tunc aut
simulat se creditorem ex suo facto, instando, urgendo, & de-
bitorem ad indebitum solvendo, aut se non ita simulat, sed
debitor suâ sponte absque creditoris persuasione indebitum
solvit, quo casu non furtum committit, sed tantum casu
priori.

Indebitum per errorem juris solutum, repe-
ti non potest. *l. 10. C. de jur. Et fact.
ignor.*

Ratio est, quod qui in jure errat, & solvit, præsumitur
sciens solvere, paria enim sunt in jure, scire, & debere scire.
l. leges 9. C. de LL. quia enim leges omnium hominum vitas
constringunt, hinc præsumuntur ab omnibus sciri. *l. 9. in pr.
ff. de jur. Et fact. ignor. Et l. 12. C. eod.* Obstat, quod nihil magis
contrarietur consensui quàm error. *l. 15. ff. de jurisdic. Resp.*
quod *d. l. procedat tantum* quoad speciem, non verò quo ad
genus, prout exemplum est in *l. 18. §. 3. ff. de injur.* ubi dicitur
sufficere, dolum in genere subfuisse, titut in persona erra-
rum fuerit. Deinde videtur, obstare, juris ignorantiam non
office-

426
officere jus suum petentibus. Resp. d. l. non obstare, quia dominium in casu nostro jam est translatum, & res sua esse desit. l. 33. ff. de condict. indeb. Hinc dicitur in l. si ex plagis §. fin. ad L. Aquil. quod quidem nemini casus, sed tamen culpa imputetur. Limitari tamen potest prædicta regula, in iis personis, quas juris ignorantia excusat. l. 9. ff. de jur. & fact. ignor. l. 29. ff. de condict. indeb.

X.

Indebitum per errorem facti solutum repeti potest. d. l. 10. & l. 7. C. de jur. & fact. ignor. l. 9. C. ad l. Falcid.

Ratio est in d. l. 10. quia facti ignorantia non nocet. Errantis enim nullus est consensus l. 9. C. de jur. & fact. ignor. Obstare videtur l. quisquis 15. C. de rescind. vendit. ubi ignorantia in facto proprio non toleratur. Bonus enim paterfam. res suas nosse debet, & nemo factum proprium ignorare præsumitur. Resp. Prædictam l. 15. fallere multis modis, & 1. in rebus ad aliquem noviter devolutis. l. 42. ff. de R. J. l. 2. & l. 5. ff. de jur. & fact. ignor. 2. Fallit, ubi factum esset multum intricatum, præsumitur enim propter ejus difficultatem & perplexitatem oblivio. l. 47. §. 1. ff. de pact. 3. Fallit, cum ignorans factum suum de damno evitando tractaret, ut est in casu nostro, ubi errans etiam in proprio facto audiri debet. l. 8. ff. de jur. & fact. ignor. Manet igitur & verum est, quod indebitum per errorem facti solutum repeti possit, quia facti ignorantia non nocet, nec naturalis æquitas permittit, ut alter cum alterius jactura locupletetur. l. 14. ff. de condict. indeb. Sed nota, quod hoc universaliter non fit verum, sed limitari potest, & fallit 1. in supina ignorantia, quia paria sunt scire, vel supinè ignorare. l. 55. ff. de adilit. edict. & l. 9. §. 2. ff. de jur. & fact. ignor. fallit. 2. in ignorantia facti fraudulentè allegata. l. 5. C. de LL. Non enim decipientibus, sed deceptis jura subveniunt. l. 2. §. 3. ad SC. Vellejan. & provisio facta alicujus favore, propter ejus dolum amittitur. gloss. ad l. 2. plures fallentias vide apud Schneidew. in gloss. ad §. is quoq. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.

B 2

XI. Com.

X I.

DE COM- **Commodatum in specie debet restitui. l. 2.**
MODATO. *in pr. ff. si cert. pet.*

Commodatum enim est contractus realis, quo usus rei gratuitus sub certâ finis determinatione ita conceditur, ut eadem in specie postea exhibeatur. §. 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. 8. & 9. ff. commodat. l. 1. §. 15. ff. de O. & A.* Res igitur in specie debita non verò quantitas fungibilis sub restituendi necessitatem cadit, i. quia si non redderetur res eadem in specie, sed alia in genere, non esset commodatum, sed mutuum. *d. l. 2.* 2. Si non eadem res redderetur, tunc unum pro alio invito creditori solveretur, quod tamen est contra scriptam juris regulam in *d. l. 2. §. 1.* Sed quæritur (1) *Si quis rem sibi commodatam perdiderit, an teneatur rem consimilem, vel ejus æstimationem præstare?* Mozz. in tract. de contractib. sub rubr. de rebus, quæ possunt commodari. n. 8. p. (mibi) 129. ait, quod hanc quæstionem Speculator proponat in tit. de obligat. ex certi condict. num. 12. Sed eam ferè indecisam relinquat. Pergit tamen, quod Speculator videatur potius inclinare, ut debeatur æstimatio, per text. in *l. 17. §. fin. & l. 18. §. fin. ff. commod. l. 1. ff. de action. empt. & l. penult. ff. de tritic.* Commodatum enim debet restitui ad pristinam causam, aut quanti interest, præstabitur. *l. 3. §. 1. ff. commod. & sic non reddita eadem re, debetur æstimatio. Obstat,* quod in quantitativis demum, non verò in speciebus compensatio admittatur, quia in rebus tantum quantitativis mutua ad invicem est functio. *l. 18. ff. de pignor. act.* Resp. hoc procedit, ubi res adhuc in specie extat, & restitui potest, sed fallit, ubi re perempta ad æstimationem agitur: Ibi enim, quia eadem species in individuo amplius non restitui potest, æstimatio admittitur. Quæritur (2) *Si eadem res duobus sit commodata, eâ amissâ quatenus teneantur?* Res. quod uterque teneatur in solidum per *l. 5. §. fin. ff. commod. Obstat l. 21. §. 1. ff. eod.* ubi dicitur, quod pro partibus teneantur. Resp. hoc fieri tantum ex pacto, & ut res esset communi periculo. 2. *Obstat Novell. 99. c. 1.* ubi dicitur,

227.
tur, quod obligatio duorum reorum pro parte dividatur.
Resp. d. Novell. loqui de duobus reis promittendi, qui vice
mutuâ fidejusserunt.

XII.

**Quod usu consumitur, non potest commo-
dari. l. 3. §. ult. ff. commodat.**

Ea res, cujus usus aut omninò nullus, aut aliquis qui-
dem, sed non nisi cum deterioratione & consumptione esse
potest, non rectè commodatur. Ratio hujus ex præcedente
colligitur regula, quia eadem res in specie debet in commo-
dato restitui. Ea verò res, quæ usu consumitur, non potest red-
di. Ergò nec commodari. Minor est in l. 3. §. 1. ff. eod. ubi illud,
quod deterioratum redditur, redditum non dicitur. Sed ob-
stat l. 3. §. fin. & l. 4. ff. commodat. ubi dicitur, quod nummi possunt
commodari, quorum tamen usus in consumptione consistit.
Resp. quod illæ res, quæ usu consumuntur, commodari pos-
sunt, sed non nisi ostendandi causa quis accipiat ad pompam,
ut dives appareat. Et sic nummi commodato dantur, qui
plerunquæ statim redduntur, cum tantum accepti sint, ut quis
iis fucum faciat, & se hominem esse locupletem, gloriôsè
ostendat. Notandum tamen, quod prædicta regula limita-
tionem quandam habeat: Potest enim illud, quod usu con-
sumitur, commodari, si æstimatum fuerit, quia tunc opera-
tur æstimatio, ut re peremptâ vel deterioratâ solvatur præ-
tium. Mozz. in tract. de contractib. sub rubr. de rebus, quæ possunt
commodari. n. 4.

XIII.

**Commodatum ante determinatum tempus
non potest avocari. l. 17. §. 3. ff. commo-
dat.**

Ratio est, quia in commodato certus usus præfiniri so-
let. Ergò ante expletum tempus non potest revocari. Vo-
luntatis enim est, ab initio contrahere, sed necessitatis, con-
tractus initos juxta præscriptum & conventum modum con-

B 3

summari,

summare, per *l. sicut. C. de O. & A.* Notandum verò est, quod tempus in commodato utendo determinetur dupliciter, vel 1. expressè, vel 2. tacitè. Expressè, quando certum tempus fuit determinatum. Tacitè autem tempus determinatum & præscriptum esse dicitur, quo commodatarius re commodatâ commodè potuit uti. E. G. quando alicui commodavi librum ad transcribendum, tempus concessum intelligitur, in quo potuit commodè transcribi. *l. 5. & l. 17. ff. h. t.* Sed quæritur

Q. 1.

(1) *Si quis ad certum & determinatum tempus rem aliquam commodasset, an finito tempore, usu tamen nondum impleto, rem commodatâ possit à commodatario avocare?*

Aff. modò justum tempus, quo usus rei potuit impleri, sit transactum. per *d. l. 17. h. t. & l. 15. §. cum quidam. ff. locati.* sibi enim imputet commodatarius, quod intra constitutum tempus non sit re commodata commodè usus. vide *l. 129. l. 173. §. 2. & l. 203. ff. de R. J.* neque commodanti nocere debet culpa & negligentia commodatarii. *l. 3. ff. de transact.* Quæritur (2)

Q. 2.

Si tempore elapso usus nondum sit finitus, an etiam hoc in casu commodata res avocari possit? Resp. Si definitè ad certum tempus usus sit simpliciter concessus, tunc illo præterito usus etiam de stricto jure intelligitur esse finitus. Si *chard. ad l. 2. num. 1. C. commod.* quem allegat *Cramer. in discept. Justin. 16. posit. 9.* Æquitatis tamen videtur esse, commodatum ante cœptum, nondum tamen finitum usum, elapso licet tempore determinato, non posse avocari, modò non fuerit commodatarius in causa, quod finiri non potuit, quia nemini casus, sed tantum culpa imputari debet. *l. 52. §. fin. ff. ad l. Aquil. & dubius actus semper in meliorem partem accipi debet. l. cum creditor. ff. de furt.*

XIV.

Commodatum debet esse gratuitum. §. 2. in fin. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.

Commodatum enim definitur, quod sit alicujus rei in certum usum gratuita concessio. Ergò nullâ mercede accepta vel constituta fieri debet. Res enim tunc proprie intelli-

228.

intelligitur commodata, si nulla mercede accepta vel constituta res utenda data est: alioquin mercede interveniente usus rei locatus videtur. *dict. §. 2.* Nota tamen, quod finito rei commodatæ usui remunerationis loco aliquid bene solvi possit. Sic etiam mandatum debet esse gratuitum, & nisi gratuitum sit, in aliam negotii formam cadit. *§. ult. Inst. de mandato.* Et tamen post mandatum perfectum salarium peti potest. *l. 6. ff. mandati.*

XV.

Commodatum ad specificatum usum fieri debet. l. 17. §. 3. ff. commodat.

Hæc enim est commodati forma, quod ad finem, & n. dum usus concessi præscriptum per tempus expressum, vel tacitè intellectum fieri debet. Si enim ad incertum usum traderetur, esset precarium. *l. 1. ff. de precar.* Hinc dicitur *in §. 6. & 7. Instit. de obligat. que ex delict. nasc.* quod ille, qui rebus commodatis aliter uteretur, quàm utendas acceperit, furtum committat. E. G. si quis equum gestandi causa, id est, ad valetudinem & animi recreationem, sibi commodatum, longius aliquò duxerit. Hinc Valerius VIII. c. 2. *in fin.* refert, quendam furti fuisse damnatum, quod equo, cuius illi usus usque ad Ariciam commodatus fuerat, ulteriori ejus municipii clivo vectus esset. De Jure Saxon. secus est. *artic. 22. libr. 3.* Notandum est hic, quod Schneidew. *ad §. placuit. 7. Instit. de obligat. que ex delict. nasc. ex Bart. in l. 13. §. 11. ff. locat.* refert: Si Studiosus vel alius cujuscunque conditionis homo retineat equum ultra conductionis tempus, eum non committere furtum, si equus solebat conducì. Videtur enim re conduxisse pro eodem pretio.

XVI.

Ex natura commodati est, ut commodans de vitio rei commodatæ teneatur. l. 18. §. 3. ff. commodat.

Hæc

Hæc regula universaliter vera non est, sed limitari debet, quod tantum commodans, si sciens fuerit, de vitio commodatæ rei teneatur, quia vitiosam rem commodare non debuit, nemo enim ex suo dolo vel calliditate relevari debet. *l. rerum. §. tempus. ff. pro socio.* Secus est si ignorans, vitiosa enim res à commodante ignorante commodata, si noceat commodatario, commodator non tenetur, quia commodatum fit accipientis causa *d. l. 18. §. 3. & l. 22. ff. commodat.* & nemini casus, sed culpa tantum imputari debet. *l. si ex plagis. §. fin. ff. ad l. Aquil.* Hinc commodator si sciens vasa vitiosa commodavit, & vinum ibi infusum corruptum est, commodati actione tenetur. *d. l. 18. §. 3. ff. commodat.*

XVII.

Commodatarius non est in culpa, qui re commodatâ ad usum sibi concessum utitur. *l. 10. ff. commodat.*

Hæc regula verificatur in casu in *l. ult. ff. commodat.* proposito, ubi dicitur: Si alicui commodavero equum, quo usque ad certum locum utatur, si nulla culpa commodatarii interveinente, equus in ipso itinere deterior factus sit, non tenebitur commodati. Ego enim potius in culpa ero, qui in tam longum iter equum commodavi, qui eum laborem sustinere non potuit. Ratio hujus est, 1. quia nemini datur damnum, in ea re, in qua jure suo quis utitur. *l. 24. §. fin. ff. de damn. infect.* 2. quia nemini casus, sed culpa tantum imputari debet. *l. si ex plagis. §. fin. ff. ad l. Aquil.* 3. quia nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet. *l. 151. ff. de R. J.* 4. quia damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sentire non videtur. *l. 203. ff. de R. J.* Jam verò commodator sibi imputare debet, quod equum in tam longum commodavit iter. E. damnum si aliquid patitur, suâ culpâ habebit.

XVIII.

Damnum in re commodatâ ex culpa commodatarii superveniens, ab ipso resarciri debet. *l. 5. §. 3. & 4. ff. commodat.*

Ratio

229.

Ratio in d. §. 3. ponitur, quia commodatum plerunque
solam utilitatem continet ejus, cui commodatur. Commo-
datarius igitur in re commodata talem diligentiam præstare
debet, qualem quisque diligentissimus paterfam. suis rebus
adhibere solet. l. 4. ff. de O. & A. l. 23. ff. de R. J. aliàs culpa ei im-
putari debet. l. si ex plagis. §. fin. ff. ad l. Aquil. & l. 203. ff. de R. J.
Quæritur, Si equo per te mihi ad villam commutato, ubi
inveni amicos cum aliis rixantes, immiscui me amicos ju-
vando, tu verò casu superveniens adversarios juvisti,
& sub me equum tuum occidisti, an commodati tenear?
Aff. Mozz. in tr. de contractib. sub rubr. quomodo tollatur commo-
datum n. 9. pag. (mihi) 145. cum culpa penes me resideat, qui
prius deliqui.

XIX.

Commodatarius de re commodatâ casu
peremptâ non tenetur. l. 5. §. 3. & 4. ff.
commodat.

Ratio habetur in l. 6. C. de pignor. act. ubi dicitur, quod
in nullo bonæ fidei iudicio veniat casus fortuitus, qui prævi-
deri non potuit, & l. 2. §. 7. ff. de administ. rer. ad civit. pertinent.
ubi extat, quod propter casus fortuitos, quia humano confi-
lio prævideri non possint, nemo teneatur. Hæc tamen re-
gula in tribus casibus, quos enumerat Schneidew. ad §. item
is cui nu. 14. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. limitatur: 1. si inter
partes de casu præstando conventum est. 2. Si commodatari-
us fuerit in mora restituendi. 3. Si culpa commodatarii
præcessit. Hisce 4. addi potest, si res commodata æstimata
data sit, tunc enim omne periculum præstari debet ab eo, qui
æstimationem se præstaturum recepit per l. 5. §. 3. ff. commodat.
Sed quæritur, Si quis habeat tam res proprias, quàm sibi
commoatas in periculo, quasnam salvare debeat? Resp.
Quod quidem commodatarius res sibi commoatas non mi-
nus quàm suas custodire debeat, si æquales fuerint, (pretio-
siores enim semper erunt præ aliis salvandæ) sed usus præ-
valuit,

C

valuit, ut suas præferre possit. *l. 14. in princ. ff. de præscript. verb. gloss. ad d. l. 5. §. 4. ff. commodat. charitas enim incipit à se ipsa.*

XX.

DE DE- Eadem res deposita in specie reddi debet. §.
POSITO. præterea 3. *Instit. quib. mod. re contrah. oblig.*

Recipiens depositum videtur dare fidem suam de restituendo. Depositum enim est, quo res alicui gratis datur sub fide restituendi. *l. 1. §. 22. ff. deposit.* Hinc ut sit depositum in pecunia, & pecunia dicatur deposita, requiritur, quod non sit deposita ad pondus, vel numerum, vel mensuram, quia per hoc censeretur, dare licentiam depositario, ut ea pecunia utatur, & tantundem in genere suo restituat, contra naturam depositi, quod non datur ad usum, sed ad custodiendum, & hoc casu recipiens tenetur custodire illud actione depositi. *c. 1. 2. extr. deposit. & dict. §. 3.* Obstat *l. 25. §. 1. ff. deposit.* ubi dicitur, quod pecunia sit data non ob signata, ut tantundem reddatur, & in proprios usus convertatur, & tamen iudicio depositi condemnandus est. Et in *l. 26. §. 1. in fin. ff. eod.* dicitur, quod usuræ actione depositi peti possint Resp. Mozz. in tractat. de contractib. sub rubr. de substantialib. deposit. num. 9. & seqq. pag. (mihi) 156. quod Jcti in dd. II. ideò depositi actionem dederint, habito scilicet respectu ad mentem contrahentium à principio quod attenditur. 2. Resp. quod etiam privilegia veri depositi locum habeant in improprio deposito. Prædicta tamen regula fallit, & in quatuor casibus limitatur: 1. Cum quis gladium deposuit, & postea furiosus factus ipsum repetit. *c. ne quis. 12. quest. 2.* 2. Si deponens sit deportatus, & ejus bona sint publicata. *l. 31. in pr. ff. deposit.* 3. Si fur deposuit, & cum vero domino in petendo concurrat, quia potior est dominus, hæc enim est justitia, quæ suum cuique tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione. *d. l. 31. §. 2.* 4. Quando fur deposuit apud eum, cui surripuit *d. l. 31.*

XXI. Res.

Res, quæ deponitur, mobilis esse debet. §.
præterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.

Ratio patet ex præcedente regula, ubi dictum fuit, quod res deposita debet in specie restitui, quia non ad usum, sed tantum custodiæ causa datur, quæ omnia de rebus immobilibus non possunt dici, quia non possunt de loco ad locum moveri. Deinde dicitur in *d. §. 3.* quod securus sit, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit. Jam verò immobilia non possunt amitti, nec à fure quopiam contrectari. Manet igitur, quod immobilia non possint deponi. Mozz. *d. l. nu. 6. & 7. pag. (mibi) 155.* Obstat 1. quod interdictum unde vi competat rebus immobilibus *l. 1. §. 4. ff. de vi & vi arm.* Sed interdum hoc etiam locum habet in deposito. Sequitur ergò, quod etiam depositum sit in rebus immobilibus. Resp. majorem non universaliter veram esse, quia etiam interdictum unde vi locum habet in re deposita mobili *l. 1. §. 6. & l. 3. §. 15. in fin. ff. d. tit. Förster. in disput. Justin. 16. num. 16. pag. (mibi) 176. Schneidew. ad §. 3. n. 10. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Obstat 2. quod etiam res immobiles commendari, id est, custodiæ causa tradi possint. *l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 5. §. 5. ff. commodat. & l. 36. ff. de actionib. empt.* Resp. ut aliquod sit depositum, non sufficit illud custodiæ causa tantum alicui dare, sed requiritur adhuc, ut illa res deposita sit mobilis. Mozz. *dict. l.* hinc dictum est depositum, quod ponatur, & præpositio auget depositum, ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet *l. 1. in princ. ff. deposit.* Alii respondent, quod res immobiles custodiam, sed latè loquendo recipere videantur, eam interim, contra vim parum officere. *l. 31. in pr. ff. de actionib. empt.* Et metonymicè commendari domus dicitur, cujus claves traduntur, itaque tum mandatum potius contrahetur, quam depositum. Berens. *disp. Justinian. 9. them. 3. quæst. 1. pag. (mibi) 215.*

Depositum gratis fieri debet. *l. 1. §. 8. ff. de-
posit.*

Pro rei depositæ custodia nulla debet intervenire merces. Nam si præstaretur merces in numeratâ pecuniâ, esset locatio, si verò in alia specie, esset contractus innominatus, do, ut des. *d. l. 1.* Hinc depositarius culpæ nomine, id est, deficiæ atque negligentia non tenetur, quia deponentis tantum gratia fit depositum. *§. præterea. 3. Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* Si verò depositarius aliquid pro custodia acceperit, tunc tenebitur etiam de levissimâ culpâ, non quidem actione depositi, sed actione conducti, si quantitas pro mercede fuerit soluta, vel præscriptis verbis, si aliqua species pro custodia data fuerit. Notandum tamen est, quod depositarius honorarium aliquod recipere, vel etiam pretium depositionis, non tamen quasi mercedem, accipere non prohibeatur, hoc enim contractus gratuiti naturam non immutat, quo tamen casu levem culpam præstare debet. *l. fin. & ibi gloss. ff. deposit. l. 5. §. 2. ff. commodat. c. 2. extr. deposit.*

Periculum rei depositæ ad deponentem spectat. *§. 3. Instit. quib. mod. re contrah. obligat.*

Ratio est, quia deponentis tantum gratiâ fit depositum. *d. l. 5. §. 2. ff. commodat.* Si itaque perit res deposita ob negligentiam depositarii, perit deponenti, quia sibi suæque facilitati imputare debet, quod negligenti amico rem tradidit custodiendam. *d. §. 3. in fin. Schnedew.* tamen aliquot recenset casus, ubi periculum rei depositæ spectat ad depositarium, *ad d. §. 3. num. 17.* 1. Si depositarius fuerit in mora restituendi. *l. 12. §. fin. ff. deposit. l. 5. ff. si cert. petat. & l. 15. ff. de R. V.* 2. Quando ex culpâ depositarii periculum intervenit. *§. 3. & 4. Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* 3. Quando depositarius se pro
casu

casu fortuito obligavit. *l. 1. C. de posit.* qui enim in se casus
fortuiti periculum suscepit, de omnicausu tenetur. *l. 6. C. de pi-
gnorat. act. & l. 2. in princ. ff. locat.* 4. Si aliquid pro custodia ac-
ceperit. Dec. ad *l. 23. ff. de R. J.*

XXIV.

Pignus non nudo consensu, sed re contra- DE PI-
hitur. §. ult. Instit. quib. mod. re contrah. GNORE.
oblig.

De substantia pignoris est, ut adsit res certa, super qua
cadat pignus, neque pignus potest constitui, nisi adsit sub-
jectum, scilicet res. Res autem mobilis esse debet, quia pi-
gnus dicitur à pugno, eò quod tradatur & stringatur pugno,
l. plebs. 238. §. pignus. 2. ff. de V. S. Hinc dicitur in *d. §. ult.* quod
creditor pignus accipiendo re obligetur, & de eadem re,
quam accepit, restituenda teneatur actione pignoratitia.
Obstare videtur *l. 1. ff. de pignorat. action.* ubi dicitur, pignus
non solà traditione, sed etiam nudà conventionè contrahi,
& si non traditum sit. Resp. i. Distinguendum esse inter
ipsum pignus, & inter pignoris obligationem. In *d. l. 1.* vi-
detur dici, quod obligatio pignoris possit contrahi nudo
consensu & conventionè, non autem pignus. *gloss. ad d. l. 1.*
ubi simul allegat *l. 2. C. quæ res pign. oblig. poss.* quæ responsio
affirmatur ex hoc, quod pignoris appellatio modò ipsum de-
signet pignorarium contractum, modò rem pignori datam,
modò etiam ipsam obligationem. *d. §. ult. l. 3. l. 5. & l. 8. §. pi-
gnore. ff. de pignorat. act.* Gædd. ad *l. 238. §. 2. num. 1. ff. de
V. S.* 2. Resp. quamvis in *d. l. 1.* pignus nudà conventionè
contrahi dicatur, tamen adhuc re contrahi dicitur, quia
obligatio pignoris cadit certà super re, nec potest esse, nisi
adsit subjectum, cum jus in re constituat. *l. pignoris. 18. C. de
pignorib.*

XXV.

Omnes res, quæ in bonis nostris sunt, oppi-
gnorari

C 3

gnorari possunt. l. 6. C. si ab. res pignor.
dat. est.

Hæc regula non tantum res præsentēs, sed etiam futu-
ras, modò sperentur, includit. l. 15. de pignor. Quæ verò ab
hominum commercio exemptæ sunt, sive sunt exemptæ na-
turâ, ut liber homo, sive jure gentium, ut res sacra & reli-
giosa, sive jure civili, ut res publica, sive publicis usibus de-
stinata, ut Campus Martius, hæc omnes, neque obligari, ne-
que consequenter oppignorari possunt. l. si in emptione 34. §.
omnium. 1. ff. de contrah. empt. Notandum tamen est hic, quod
Mozz. in tract. de contractib. sub rubr. de rebus, quæ pignor. dari
possunt. num. 2. & seqq. & Schneidew. ad §. fin. num. 8. & seqq.
Instit. quib. mod. re contrah. oblig. quasdam de rebus, quæ op-
pignorari non possunt, limitationes enumerent, quos pro-
lubitu quilibet videre potest. Quæritur, *An libri Studioso-
rum oppignorari possint?* Resp. quod non, arg. l. 7. & auth.
agricultores. C. quæ res pign. oblig. poss. ubi dicitur, quod instru-
menta rustica à nullo creditore pignoris causa occupari pos-
sint, ne agricultura maximo hominum damno impediatur.
Quæ ratio circa Studiosorum supellectilem etiam locum
obtinet, quia prout agriculturâ Respubl. carere non potest:
Ita etiam nec literis, literarumque cultoribus, quorum scien-
tia totus mundus illuminari dicitur. Dn. Carpzov. dec. 10.
conclus. 3.

XXVI.

**Expedit creditori potius pignori incumbere,
quàm in personam agere. §. 14. Inst. de
oblig. quæ ex delict. nasc.**

Ratio est in l. 25. ff. de R. J. ubi dicitur, quod plus sit cau-
tionis in re, quàm in persona. 1. Personæ enim nos possunt
fallere, & subinde facultatibus suis labi, atque interdum
creditum abjurant: In re verò ut pignoris datione, est magna
securitas, quia jus, quod in re est, quemcunque possessorem
cum suo onere comitatur. l. 2. C. de her. act. 2. ACTIONES IN
REM

232.
rem contra possessorem possunt exerceri, licet res in mille manus pervenerit. §. 1. *Instit. de actionib.* actiones verò in personam inhaerent tantum personae obligatae. *l. ult. ff. de contrah. empt.* Sed quaeritur hic, *An per personam ipsum debitorem, an verò fidejussorem intelligere debeamus, ut dicamus quod plus cautionis in re sit quam in persona?* Resp. quod per personam intelligendus sit debitor, si enim hunc cum pignore conferamus, dicendum est, quod melius sit, rem apud se habere, quam contra aliam agere, litisque periculo se subicere. *l. 59. ff. de furt.* Non verò per personam intelligendus est fidejussor, hic enim si conferatur cum pignoribus, dicendum est, quod plus cautionis sit in persona quam in re, 1. quia securior est, qui duos habet unius rei nomine debitores, quam qui unum tantum habet cum pignoribus. 2. Quia pignora multis modis perire possunt, non verò ita potest obligatio fidejussoris perire, siquidem non ipse tantum obligatur, sed etiam haeredem relinquit obligatum. 3. Quia facilius possunt conveniri fidejussores, quam distrahi pignora. 4. Quia creditor, penes quem est pignus, cogitur praestare culpam. *l. 5. §. 2. ff. commod.* quam tamen non praestat ratione fidejussoris. Vide Dn. D. Ungebaur. *exerc. Justin. 4. quest. 17. pag. (mihi) 174.* Addendum est, quod quidam dicant, obligatum fidejubere, pignora dare non posse, quia creditor non cogatur suscipere onus, & periculum custodiendi pignora. *l. quemadmodum §. pen. ff. ad l. Aquil.* videtur autem magis gravatus, qui obligatur dare fidejussorem, quam pignus dare. *l. omnes. §. in hac C. de Episc. & Cleric.*

XXVII.

Pignus datum pro uno debito, pro alio potest detineri. *l. unic. C. etiam ob Cbirogr. pecu.*

Ratio potest desumi ex *l. 155. §. 1. ff. de R. J. & l. sicut. C. de A. & O.* ubi dicitur, concedendum esse illud, quod nemini no-

est,

cet, & alicui prodest. Assumo, quod creditor pignus pro uno debito datum pro altero retinendo non noceat debitori, quia soluto debito ad eandem rem debitori restituendam actione pignoratitia tenetur. *l. 9. §. omnis. ff. de pignorat. action.* Interim tamen sibiipso prodest, quia pignus retinet creditor hanc ob causam, ut ei magis in tuto sit creditum. Dicendum igitur, quod illud retinere possit. Hæc tamen regula limitatur, quod pignus pro uno debito datum non possit detineri pro alio, si hoc pœnale sit debitum, odio pœnæ. Bald. in *l. pignorib. C. de usur.* Mozz. in tractat. de contractib. sub rubr. de naturalibus pignoris. num. 19. pag. (mibi) 217. Quæritur, An debitor pignus æquè idoneum offerre, & ita prius liberare possit? Neg. 1. quia aliud pro alio invito creditori non potest solvi. *l. 2. §. 1. ff. si cert. pet.* 2. quia nemo ex suo facto damnum sentire, aut in periculum trahi debet. *l. 50. ff. de rejudic. & l. 7. ff. testam. quemad. aper.* Jam verò si creditor cogeretur datum pignus, non tamen soluto debito, creditori restituere, & aliud pro debitoris placito acceptare, damnum sentiret, cum credito diutius carere oporteret. E. 3 quia neque creditor cogitur liberare fidejussorem datum, etiamsi alius æquè idoneus offeratur. *l. 45. ff. mandat.* Idem ergò & de pignoribus dicendum erit, quia de fidejussore ad pignus urgens est argumentum. Berens. disput. Justin. 9. them. 4. quest. 2. pag. (mibi) 221. Obstat, quod quis tenetur facere, quod sibi non nocet, & alteri prodest, *l. 38. & ibi gloss. ff. de evict.* Resp. quod hoc in casu noceat creditori, aliud pignus accipere, quamvis enim ratione ipsius pignoris non noceat, hoc aut illud habere, cū ejusdem bonitatis utrumque sit, nocet tamen ratione usus atque necessitatis, quia hoc in casu debitor ad faciliorem pignoris liberationem, & celeriolem debiti solutionem adigitur.

XXVIII.

Creditor in pignore tantum de dolo, lata
& levi culpa tenetur, *l. 13. §. 1. ff. de pi-
gnor. action.*

Ratio

1233.

Ratio prima est hæc, quia pignus utriusque tam debitoris quam creditoris gratia datur: Debitoris, quò magis pecunia ei credatur, sed creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum. *S. fin. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Ubi a, contractus utriusque contrahentis gratia celebratur, ibi dolus & culpa præstatur. *l. 5. §. 2. ff. commod. II.* quia res perit suo domino. Jam verò debitor manet dominus pignoris. E. etiam periculum ejus regulariter ad debitorem pertinet. Hæc tamen regula fallit, 1. si creditor in se casus fortuiti periculum susceperit. *l. 6. C. de pignor. act.* vi enim pacti effici potest, ut creditor de casu etiam fortuito teneatur, quia conventio dat legem contractui. *l. 6. ff. de pact.* cum nihil magis congruum sit fidei humanæ, quam ea, quæ placuerunt, servare. *l. 1. ff. d. t. sibi enim imputet qui aliquid præstare paciscitur, de quo aliàs non teneretur.* 2. Nisi culpa præcesserit casum, quia nemini quidem casus, sed tamen culpa imputari debet. *l. si ex plagis. §. fin. ff. ad l. Aquil.* Rittershus. *ad l. 23. ff. de R. J. c. 8. pag. (mibi) 109.* Quæritur, *S: pignus casu periit, an creditor nihilominus debitum persere possit?* N. de jure civili, per *l. 6. C. de pignor. act.* Secus est de Jure Saxon. ut est text. in *art. 5. libr. 3.* ubi dicitur: **Stirbt ein Pferd oder Viehe in der versagung (ohn jenes Schuld der das vnter ihm hat) beweiset er das / vnd darff auch darzu schweren / er gilt es ihm nicht / Er hat aber sein Geld verloren / da es ihm omb versagt stund.** hoc est, si equus seu jumentum pignoratam moritur absque culpa ejus, in cujus potestate est, atque is suam innocentiam probat, & jurat, non tenetur emendare. Sed pecuniam, ob quam sibi pignori datum fuit, perdit. Schneide w. *ad §. fin. in fin. Inst. quib. mod. re contrah. obligat.*

XXIX.

Creditor pignus alienare potest. *l. 4. ff. de pignor. act. §. 1. Inst. quib. alien. lic. vel non.*

Ratio dari potest ex *l. 155. §. 1. ff. de R. J.* quod nemini injuriam

juriam faciat, qui jure suo utitur. Ad intellectum tamen hujus
regulæ notandi sunt tres casus principales: 1. Si conventum
est inter creditorem & debitorem de vendendo & alienando
pignore, tunc creditor, si intra determinatum tempus pecu-
nia debita non solvatur, absque exceptione pignus alienare
potest. *l. 4. ff. de pignor. act.* 2. Si conventum est de non distra-
hendo pignore, tunc non obstante hoc pacto, post ternam
denunciationem legitimè interpositam nihilominus creditor
pignus alienare potest. *d. l. 4.* quia si hanc potestatem pignoris
detrahendi creditores non haberent, nō etiam reperirentur,
qui indigentibus in necessitatibus subvenirent, & pecuniam
mutuarent. 3. Si planè nihil inter partes de vendendo pigno-
re est conventum, tum nihilominus creditor pignus distrahe-
re potest, ita tamen, ut prius interpellet debitorem, ut sol-
vat, qui si cessaverit biennium, pignus illud, post biennium
à die denunciationis factæ elapsum vendere potest, vide
Schneidew. ad §. 1. Inst. quib. alien. lic. vel non.

XXX.

Licentia alienandi pignoris datur creditori
pro rata debiti, per *l. 4. §. 3. C. de jure do-
min. imptr.*

Pignus quidem alienari & vendi potest, servatis tamen
servandis. Nam si ex venditione pignoris creditori non sit
satisfactum, poterit residuum ab ipso debitore repetere, *l. ult.
C. de distract. pign.* quia totum, quod debetur, solvendum est.
l. 48. ff. de V. S. Sin autem ultra debitum de pretio aliquid super-
est, tunc debitori restitui debet, quia 1. superfluum pretii cre-
ditori non est obligatum. 2. quia nemo cum alterius jactura
locupletari debet. *l. 14. de contradict. indeb.* 3. quia in pari
causa damno magis quam lucro consulitur.

*l. fin. §. licentia. C. de jure
delib.*

COROL-



234

COROLLARIUM.

Quæritur à Dd. *quisnam sit contractus, si aliquis alteri dicat, sume banc pecuniam?*

- I. Quidam dicunt, quod sit contractus mutui, per *l. 9. §. 3. ff. sicert. pet.*
- II. Alii putant, depositum esse, quia præsumatur semper in dubio id, quod est favorabilius. *l. 3. ff. de his que in testam. del. l. fin. §. licentia. C. de jure delib. & l. 56. ff. de R. J. Depositum verò admodum favorabile est. l. penult. C. deposit.*
- III. Alii putant, donationem esse, Menoch, *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. p. 34.*
- IV. Alii putant, esse contractum innominatum, per *l. 1. in princ. ff. de præscript. verb.*
- V. Alii putant nullum esse contractum, quia hæc sit nuda traditio, ex qua dominium non transfertur. *l. 31. ff. de A. R. D.*

Quamlibet opinionem defendi posse, ultimam tamen veriore esse autumo.

* * *

AD

Ad Præstantissimum & Literatissimum

Dominum Respondentem.

Diversos diversa juvant, nec vivitur uno
Modo, suum cuiq; sed pulcerrimum.
Hic velut aratis sublato puppibus amne
Merces, simulq; farramutat dulcia;
Quadrupedis frenat duris hic ora capistris,
Et diligit rotas nitentes falcibus.
Pollice vult alter pulsare choraulia docto,
Suaviq; mentes permovere barbitō.
Ducere amatq; alius faciles ex arte choreas?
Et quemq; pone honos secutus est suus.
At tibi quam stabilem sortem, propriamq; dicāstis
Rutlofe Musarum decus gratissimum.
Omnium ea est fulcrum, clypeus, præclara basisq;
Res cetera coguntur ire prolires.
At divina altum graditur prudentia juris,
Et cum celebri laude opes dat maxumas.
Sit genus exemplo parcum, patiensq; laborum,
Ut diligenter consulas brumæ tuæ.
Ipsus eam adsiduè quoq; permittente Jehovâ,
Ceu ritè nunc facis, polire pergito.
Miles hic exiguus, qui sub fornace cruentus
Latet, nec estimatur heros inclutus;
Obrutus horrifera manet & nocte, aufugit atro,
Stupidum ob metum quisquis necandi ex agmine.
Pugna opus est, si quis spoliis ornatus opimis
Ex hoste gestiat demùm revertier;
Findere opus terra est glebas, ut semina, aratro
Cum centuplo projecta redolant fœnore.

L. M. Q. adscribebat

Johan-Christoph. Diensstorffer.
Hippolyt. Austrius.

94 A 7383

ULB Halle


3


002 133 822



VD 17







DISPUTATIO 7 vii.
PRIMA
CONTINENS
REGULAS, QVÆSTIO-
NES, ALIASQVE OBSERVATIONES
circa materiam Contractuum, qui Re
perficiuntur, in cottidiano foro
occurrentes,

QVAM
Divino auxilio adjuvante, &
Nobilissimâ Facultate Juridicâ
approbante,

SUB PRÆSIDIO
CHRISTOPHORI PHI-
LIPPI Richter/Eisfeldâ-Franc.
J. U. Cand.

*Dnn. Compalestritis suis exercitii gratiâ discutiendam
exhibet, placidoq; eorum examini subijcit*

CHRISTIANUS Rudloff Wurzen,
Misnic.

Die 25. Augusti

3 E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,

ANNO M. DC. XXVII.